

Vergiliana.

Aen. IV 268 Ipse deum tibi me claro demittit Olympo
regnator, caelum ac terras qui numine torquet.

Heynius 'torquet' exquisitius pro 'moderatur' dictum esse existimaverat, ut Mars sub numine suo bella torquere dicitur (Aen. XII 180). Contra alii collato Aen. IX 93 ('filius huic contra, torquet qui sidera mundi' sc. Iuppiter) verbo torquendi propriam vim inesse contendunt. Et recte quidem, modo ne affirmare viderentur vulgatiorem quandam sic effici sententiam, quippe quae etiam Ciceronis esset. Conferunt enim Ciceronem in Academicis. Sed ea inde afferunt quae ipsis favent, cetera non curant neque quaerunt, quorsus Ciceronis disputatio tendat. Cicero enim sceptici partes agens ut de rerum natura nihil posse affirmari evincat, iis quae hominibus eruditis tum certiora videbantur sententias philosophorum a vulgari opinione dissentientium opponit. Inter quas Hicetae de terrae motu refert Ac. II 123 'Hicetas Syracusius, ut ait Theophrastus, caelum solem lunam stellas supera denique omnia stare censet neque praeter terram rem ullam in mundo moveri: quae cum circum axem se summa celebritate convertat et torqueat, eadem effici omnia quae si stante terra caelum moveatur'. Paradoxa sunt neque, ut quisque videt, cum Vergilio consentiunt. Hic enim Iovem non solum terram, sed etiam caelum movere dicit. Terram moveri etiam Aristarchum Samium docuisse notum est, sed et hic cum sole inter stellas inerrantes posito terram et circa axem et obliquo orbe circa solem moveri statueret caeli motum sustulit (cf. Pseudo-Plut. Plac. II 24; Plut. de facie lunae VI). Restat, ut Philolaum Vergilium secutum esse declaremus, qui et terram et sidera omnia circa ignem, quem in medio mundi Pythagorei ponebant, moveri docebat (cf. Plac. III 13; Boeckh *Philolaos* c. 13). Sed neque Vergilium singularem quandam sententiam et ab ipsis Pythagoreis ut videtur (nam Hicetas a Pseudo-Plutarcho Pythagoreus dicitur v. Plac. III 9)

improbata quasi omnibus notam et familiarem ponere possumus non mirari et ex alio loco Aeneidos apparet Vergilium vulgarem opinionem amplexum fuisse. Vide enim

IV 481 (cf. VI 797) locus est, ubi maximus Atlas
axem umero torquet stellis ardentibus aptum.

Quae hic poeticis ambagibus significat, axem mundi in media terra positum esse et terra stante supera moveri, illic magis philosophorum in morem adumbrare voluisse existimandus est, neque dubito quin medelam maxime necessariam nostro versui adhibeamus scribendo:

caelum ac stellas qui numine torquet.

Atque docte et considerate et tamquam vir a philosophia non alienus ut summam Iovis vim ac potestatem propriamque dei naturam significet, hunc principem et auctorem mundi motus reddit. Illos enim philosophos sequitur, quorum quanta auctoritas eo tempore apud Romanos fuerit, Ciceronis opera docent. Qui et mundum et animum divinum esse Platone auctore eo probare studebant, quod uterque semper moveretur. Quo argumento e Phaedro petito Cicero de d. nat. II 32 utitur, ut mundum deum esse demonstret. Et eadem ratione adhibita in somnio Scipionis § 26 et corpus animum sempiternum et mundum deum aeternum, quem eundem principem vocat, movere declarat.

Quantum Vergilius philosophiae deditus fuerit, ab antiquis poetae vitae scriptoribus traditur. Neque tamen interpretes hanc rem semper satis considerasse videntur. Ego quidem putaverim non prorsus alienum esse indicare, qua re poeta adductus sit, ut mortem difficilem Didonis cum luctatione compararet.

IV 693 Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem
difficilisque obitus Irim demisit Olympo,
quae luctantem animam nexosque resolveret artus.

Certe poeta mortis imaginem animae naturae quam putabat consentaneam finxit. Eam igitur animam existimabat, quae per corpus diffusa et arte cum eo coniuncta esset. Haec est Stoicorum sententia a Ps.-Plutarcho expressa Plac. IV 21 ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ ἐπὶ τὰ μέρη εἰσὶ τῆς ψυχῆς ἐκπεφυκῶτα καὶ ἐκτεινόμενα εἰς τὸ σῶμα καθάπερ αἱ ἀπὸ τοῦ πολύποδος πλεκτάναί. Ex horum igitur sententia poeta Didonis obitum egregie et aptissime expressit. Stoicorum vestigia eum premere etiam ex iis quae sequuntur apparet. Nam et naturam animae igneam esse et post mortem animam superiora capessere indicat. Iris crinem Didonis secat, quo facto

omnis et una

dilapsus calor atque in ventos vita recessit.

Cf. Cic. Tusc. I 42 'animus qui . . . ex inflammata anima constat, ut potissimum videri video Panaetio, superiora capessat necesse est.'

De anima Vergilius Anchisen filium discendi cupidum plura docentem facit (v. Aen. VI 724 sqq.). Quae quantum ad locum quendam libri IV illustrandum sint idonea, interpretum nostra aetate nemo, quantum scio, perspexit. De Mercurio legimus IV 242 sqq.

tum virgam capit; hac animas ille evocat Orco
pallentis, alias sub Tartara tristia mittit,
dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.

Quid sibi vellet illud 'morte resignat', dubitaverunt. Pessime Ladewig somnum altissimum significari morte existimat, recte Kappes idem esse 'lumina morte resignare' et 'animas evocare Orco'. 'Somnos' omnes ut videtur proprie dictum accipiunt. Sed sic verba sibi non consonare et nova re interiecta Mercurium mortuos resuscitare molestissime iterari quis non sentit? Somnum mortis poeta significat (cf. Ge. IV 495 'en iterum crudelia retro fata vocant, conditque natantia lumina somnus') et hoc dicit: et morte homines afficit deus et in vitam revocat. V. 244 eadem inverso ordine dicuntur quae duobus versibus antecedentibus, sed in aliam partem vertuntur, ut res accuratius describatur, qui est mos nostri. Miror autem quod in vv. 242, 243 interpretes non offenderunt. Sane artifices Hermen ψυχοπομπὸν Proserpinam et Eurydicen ex Orco educentem fingeant (cf. Preller *Gr. Mythologie* I³ p. 629, II p. 486, 4). Tum animis ab inferis ciendis Hermes invocabatur, cuius rei exemplum Aesch. Pers. 628 afferunt. Sed talia ab hoc loco aliena sunt. Nam ut animas sub Tartara mittere, sic evocare dicitur deus, ita ut in Orcum mittendis et rursus inde reducendis aequo modo operam det. Non igitur per occasionem Hermes animas ex Orco ciere dicitur, sed ampliora quam quae solent dei munera et officia finguntur. Est eius vitam mortuis certis temporibus reddere. Iam sentis quorum in sententiam Vergilius inclinet. Hanc ipsam Anchisen latius exponentem facit VI 724—751. Extremos versus nota, quibus quae exposuimus egregie probantur:

748 Has omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno,
scilicet inmemores supera ut convexa revisant
rursus et incipiant in corpora velle reverti.

Mercurium deum poetam velle intellegi qui priores versus memoria comprehendit non negabit. Neque silendum est inter antiquos interpretes fuisse qui melius munere suo fungerentur quam qui nunc scholarum in usum commentarios in Aeneida conficiunt. Servius enim in hunc locum haec habet: 'Deus evocat. Non dicit quis, sicut supra (VI 264). Di, quibus imperium est animarum. Sed alii Mercurium volunt propter hoc Animas ille evocat Orco' sqq. Ex Vergilio supplenda sunt, quae Laertius Diogenes VIII 31 Pythagoreos de Herma enarrare tradit. Mirum in modum cum Vergilio consentit hymnus Orphicus LVII in Hermen χθόνιον, qui sic appellatur:

δς παρὰ Περσεφόνης ἱερὸν δόμον ἀμφιπολεύεις,
 αἰνομόροις ψυχαῖς πομπὸς κατὰ γαῖαν ὑπάρχων·
 δς κατὰγεις, ὁπότεν μοίρης χρόνος εἰσαφίκηται,
 εὐιέρῳ ῥάβδῳ θέλγων ὑπνοδῶτιδι πάντα
 καὶ πάλιν ὑπνώοντας ἐγείρεις.

Pauca habeo quae dicam de egregia Famae descriptione Aen. IV 174—188. Quae quamquam admiratione dignissima est, tamen ut virtus Vergilii potius in arte et studio quam in ingenii facultate posita est, ita verisimile est etiam hac in re eum circumspexisse, quae alii similia composuissent. Praetereo quae alii adnotaverunt v. 175 in similitudinem Lucretii VI 341, vv. 176 et 177 ad exemplar Homeri Il. IV 442 et 443 effectos. Unum vellem explicassent, cur poeta Terram ira deorum irritatam Famam genuisse diceret. Vereor ne hoc minus apte finxerit. Quod quomodo factum sit elucebit, si cognoscemus, quid eum ad Famae suae speciem et figuram conformandam impulerit. Vergilius imaginem Famae hanc repraesentat:

178 illam Terra parens, ira inritata deorum,
 extremam, ut perhibent, Coeo Encelado sororem
 progenuit pedibus celerem et pernicibus alis,
 monstrum horrendum ingens, cui quot sunt corpore plumae,
 tot vigiles oculi supter (mirabile dictu),
 tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit auris.

Iam confer cum his quae de Typhone narrat Apollodorus biblioth. I 6, 3: 'Ὡς δὲ ἐκράτησαν οἱ θεοὶ τῶν Γιγάντων, Γῆ μᾶλλον χολωθεῖσα μίγνυται Ταρτάρῳ καὶ γεννᾷ Τυφῶνα ἐν Κιλικίᾳ μεμιγμένην ἔχοντα φύσιν ἀνδρὸς καὶ θηρίου· οὗτος μὲν καὶ μεγέθει καὶ δυνάμει πάντων διήνεγκεν ὄσους ἐγέννησε Γῆ, ἣν δὲ αὐτῷ τὰ μὲν ἄχρι μηρῶν ἀπλετον μέγεθος ἀνδρόμορφον,

ὥστε ὑπερέχειν μὲν πάντων τῶν ὄρων, ἢ δὲ κεφαλὴ πολλάκις τῶν ἄστρον ἔψαυε· χεῖρας δὲ εἶχε τὴν μὲν ἐπὶ τὴν ἑσπέραν ἐκτεινομένην τὴν δὲ ἐπὶ τὰς ἀνατολάς· ἐκ τούτων δὲ ἔξεῖχον ἑκατὸν κεφαλαὶ δρακόντων· τὰ δὲ ἀπὸ μῆρῶν σπείρας εἶχεν ὑπερμεγέθεις ἐχιδνῶν, ὧν ὄλκοι πρὸς αὐτὴν ἐκτεινόμενοι κορυφὴν συριγμὸν πολὺν ἐξείεσαν. πᾶν δὲ αὐτοῦ τὸ σῶμα κατεπτέρωτο, ἀύχμηραὶ δὲ ἐκ κεφαλῆς καὶ γενείων τρίχες ἐξηνεμοῦντο, πῦρ δὲ ἐδέρκετο τοῖς ὄμμασι. Vides Typhonis descriptionem animo Vergilii suppeditasse unde novam Famae speciem sollerter fingeret. Nam plurima eum prudenter et summo poeta digne in suum usum vertisse et ita ut plane sua redderet, quis neget? Quid enim ad vim et naturam Famae significandam magis idoneum quam quod a Vergilio describitur monstrum horrendum totum linguis oculis oribus auribus constans? Modo ne gigantibus eam sororem adiunxisset, cuius in pugna contra deos nullae partes fuerunt quaeque hominibus certe inimicior et est et a poeta describitur.

Ieverae.

P. Corssen.